





19

73

1726, 27

18

PROBLEMA JURIS PUBLICI  
DE

VETVSTATIS AVXILIO  
REIPUBLICAE QVO AD  
IMMVNITATES A COLLECTIS  
NON OPPONENDO

P. 136.

CONSENSV  
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E

CAROLO OTTONE RECHENBERG D.  
SVPREM. CVR. PROVINC. ADSESSORE, CAPITVLI  
NVMBVRG. CANONICO, PANDECTARVM PROFESSORE  
ET MINORIS PRINCIPVM COLLEGII COLLEGIATO

IN  
AVDITORIO JCTORVM  
PROPONET  
JOHANNES CHRISTIANVS HOLTZ,  
LONGOSALIS. THVRING.

—————  
D. XXI. MAI. A. O. R. M DCC XXVI.  
—————

L I P S I A E  
LITERIS IMMANVELIS TITIL



~~27~~  
Publ. 38

PROBLEMA JURIS PUBLICI  
DE  
VETUSTATIS AUXILIO  
REIPUBLICAE QUOAD  
IMMUNITATES A COLLECTIS  
NON OPTINENDO  
CONSISTIT  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
P R A E S I D E N S  
CAROLO OTTONE REICHERBERG D.  
SVMVM CVR PROVINC ABBATISSE CAPITVM  
NVMERO CANONICO PANDACTARVM PROFESSORE  
ET MINORS PRINCIPVM COLLEGIUM COLLEGATO  
IN  
AVDITORIO ICTORVM  
P R O P O N I T  
JOHANNES CHRISTIANVS HOLTZ  
HONORABILIS THURING  
D O C T O R  
L I P S I A E  
LITERIS IMMANVELIS TITL





## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Fundamenta omnium censuum & collectarum.*

§. II. *Quae rectius ex immobilibus civium bonis, quam mobilibus colliguntur.*

§. III. *Ab onere regulari & ordinario per exceptionem a regula varie exemptiones sunt obtentae.*

§. IV. *Confectaria quaedam: & propositiones fundamentales de quavis collecta & immunitate.*

§. V. *Propositio dissertationis: an vetustatis au-*

*xilium ex l. 7. C. de fund. rei priv. quoad immunitates in immobilibus reipublicae opponi queat? Negatur.*

§. VI. *Quod a) omnis immunitas sit exceptio a regula & juris reipublicae essentialis mutilatio: inde mereres facti in liberante, non vero a facto liberati incipere queat.*

§. VII. *Quod b) causa publicorum onerum sit perpetua, quae quotidie praescriptionem interpelles.*

§. VIII.

- §. VIII. Quod c) ex natura imperii contra partes imperio essentielles nulla præscriptio obtinere queat.
- §. IX. Quod d) tributum exigere intuitu reipublicæ sit actus meræ facultatis, contra quem ex natura præscriptionis temporum intervalla non debent allegari.
- §. X. Quod e) Jure Romano fundus sine censu possideri non queat, nec
- §. XI. Jure Saxonico f) per Decis. Elect. LXV. immunem alienare liceat.
- §. XII. Præjudiciis hæc sententia confirmatur.
- §. XIII. Confirmat tamen vetustatis auxilium immunitatem i) que titulo oneroso cæpit, ut si loco census obsequia vel
- quæ equipolleant præsentur, aut
- §. XIV. Immunitas 2) ob bene merita in rem publicam olim civitatis consensu concessa sit.
- §. XV. Aut 3) præscriptio immunitatis adhuc sit confirmata.
- §. XVI. Nec obstat a) l. 7. C. de fund. rei priv. cujus sensus eruitur.
- §. XVII. Nec b) R. I. d. a. 1548. §. 56, cujus tenor restituitur.
- §. XVIII. Nec c) quod princeps consuetis annorum cuniculis contra privatos præscribat.
- §. XIX. Nec d) argumentum ab æquitate opinionis contrarie desumptum, & quod princeps in dubio iuris privatorum se submisisse existimatur.



DISSERTATIONIS  
DE  
VETVSTATIS AVXILIO  
QVOD AD IMMVNITATEM AB  
ONERIBVS REIPVBLICÆ NON OP-  
PONENDO.

§. I.



Vum duo sint reipublicæ tempora belli unum, pacis alterum, in quibus velut in cardine quodam omnis respublica vertitur, utrumque quovis tempore sumtus quosdam & publicas expensas postulat. Hæ vero cum ab omni imperio partim propter cives, partim in ipsos cives erogentur, restitutionem quoque a subditis & collectationem singulorum ad illas præsupponunt. Quæ enim in omnium utilitatem & necessitatem civium collective sumtorum tendunt, ab omnibus quoque conjunctim, & a singulis justa proportione habita in unum conferenda sunt, quod omnis mandati natura suggerat, mandatarium a mandante indemnem servari, suosque sumtus recuperare debere. Hinc virtute cujusvis nexus civilis & constituenda primum reipublicæ omnes in eadem degentes symbola sua conferre obligantur, neque aliquis communi oneri subeundo se subducere aut immunitatem, præ reliquis adfectare potest. Quod si etiam per tempus aliquod quis in republica a colle-



ctis immunis extiterit, & quasi bene satis ac commode la-  
tuerit, in censum tamen quovis tempore vocari potest, cum  
in dies novæ, quæ emergunt, necessitates reipublicæ, novam  
quoque collectationem requirant, & causâ postendorum  
tributorum perpetua quædam sit, quæ pro homine, quod  
ajunt, & imperante quasi interpellet.

§. 11.

Quo majus autem præsidium bona immobilia in civita-  
te sita præ reliquis exposcunt, quod nec bello ingruente, ad  
exemplum mobilium in loca alia avchi, nec pacis tempore  
absque imperii civilis defensione secure possideri queant, eo  
frequentius & aliquandò gravius iisdem omnium rerum  
publicarum exemplo tributa imposita leguntur. Cum ad-  
huc illorum possessiones non æque facile ac mobilium opes  
negari aut disimulari possint, & inde facultates dominorum  
ex immobilium dominio certius intelligantur, cum circa  
æstimationem mobilium sæpius censuum peræquatores er-  
rare possint, hinc fundi rei privatæ ac prædia oneribus sem-  
per præ mobilibus gravata sunt, nec facile illorum possessio  
gratis domino aut possessori unquam indulta fuit. Agris  
inde, fundis, ædibus & id generis aliis possessionibus solo ad-  
fixis census in omnibus civitatibus indicti, & pro fructuum  
quantitate pensiones quædam ex illis privatis hominibus in  
publicum usum ut plurimum decerpæ.

Prouti igitur inde patet omnem immunitatem a com-  
muni ferendo onere in statu civili contra regulam esse, ita  
solers hominum studium & jugi ferendi pertaxa voluntas va-  
rias subinde artes excogitavit, quibus ferendi necessitas in  
alios devolveretur, & naturalis status libertas revocaretur.  
Quamvis enim *paupertatis obtentu*, si vera fuerit, quilibet

excus-



*excusetur l. 10. §. 3. ff. de vacat. muner. Et inopes onera patri-  
monii non habendi necessitate non suslineant l. 4. §. 3. de muner.  
præter ejusmodi immunitatem quasi necessariam adhuc varia  
commenta inventa fuerunt, quibus liberatio a publicis  
censibus emendicata, & in vim privilegii tandem mutata  
fuit. Videas in hunc modum Clericis, Consiliariis, Nobi-  
libus & aliis lege positiva immunitatem datam fuisse, & utut,  
eodem præsidio reipublicæ, iisdemque causis, quæ primum  
tributa imperarunt, fruerentur, honestati tamen ordinis mi-  
nus convenire, si ad exemplum reliquorum conferrent, rati  
sunt, & communi tandem jugo se subtraxerunt, ut proli-  
xam ejusmodi immunitatum seriem passim legas ap. AEGI-  
DIVM THOMATVM de collectis, MVNDIVM a  
RODACH. in Tr. de mun. & honor. c. 6. n. 367. KLO-  
CKIVM de contribut. cap. 12. seqq. Ubi igitur ejusmodi  
exemptiones a muneribus patrimonialibus privilegio & le-  
ge solemniter repetitæ & stabilitæ fuerunt, propter jus  
cum causæ cognitione quæsitum non satis commode revo-  
cari possunt, præcipue si in partem salarii adhuc computatæ  
sint, aut corpori indicta obsequia l. 4. §. 2. ff. de mun. patrimo-  
nialium loco cives subierint. Neque tamen ad alias libera-  
tiones ejusmodi immunitates, quæ facti primum fuere, ex-  
tendendæ, sed ut odiosum aliquod & reliquis concivibus  
molestum intra limites facti existentis, & juris ex hoc de-  
mum legitime quæsitum refringendæ sunt.*

§. IV.

Argumento igitur, quod præsentis commentatione ex-  
plicandum suscepimus, stabiliendo & penitus noscendo,  
quemvis in sequentes propositiones nobiscum transitarum  
confidimus: Regulariter neminem a communi censu in ci-  
vitate eximendum esse: *Immunitatem* inde omnem vel esse  
neces-

*necessariam, quæ ex paupertate oritur, & ubi inanis est actio, quam inopia debitoris excludit l. 6. ff. de dol. mal. vel voluntariam ex arbitrio Imperantis introductam: voluntariam immunitatem omnem esse exceptionem a regula, adeoque primum rem facti in liberante, non vero liberato haberi, dein vero juris positivi fieri: hanc inde oriri, si lex & exemptio specialis adit: non igitur illam esse extendendam, si lex vel exemptio deficiat. Exemptiones denique fieri non debere, nisi æquipollens forsitan onus ab immuni præstetur, aut merita forsitan illius, cui vacatio contingit, quæ alio beneficio pensanda fuissent, hac ratione a republica sint remunerata.*

§. V. *His ita præmissis anceps aliquando visum est, an fundus rei private vetustatis auxilio, quod ex l. 7. C. de fund. rei priv. per præscriptionem immemoriam explicant, immunitatem acquirere queat? quod ipsum, si non alia liberationum causæ accedant, adeoque eadem liberatio fallacia, quam vocant, causæ ut causæ obveletur, negandum merito existimamus. Prouti vero cuilibet, donec lege quid certius definiatur, non modo dissentienti licentiam, sed & immunitatem, qua forsitan gaudeat, non invidemus, ita rationibus saltem causam reipublicæ hac in re acturi argumentis primum opinionem quam fovemus, corroboravimus, exceptiones a regula, dein suppeditabimus, & ultimo illorum argumenta, qui huic sententiæ contrariantur, modeste redarguemus. Nec vitio aliquis hæc in re nobis vertet, si Romanarum legum, hac in doctrina usum doctrinalem saltem, non legalem agnoverimus, cum in problemate quodam superioritatis territorialis explicando, privatam legem, & cuius receptio, repetitione aliqua hoc in themate non contingit, pro norma habere nequeamus. Et ipsa imperii civilis*

indoles

indoles ac ejus jura, quæ ex privatis legibus, si Imperans se illis non submisit, non sunt metienda, & sæpius jam legum Romanarum a scriptoribus publici Juris decidendi negata autoritas in argumentis, quæ jus Prineipis in bona civium concernunt, otium hac in re nobis facere videtur, quo minus denuo ac sollicitè illarum legalem usum in hac parte declinemus.

## §. VI.

Quod igitur §. 4. 1) præstabilitum fuit argumentum, omnem immunitatem esse exceptionem a regula, adeoque a facto, a liberante suscepto, pendere, aliam adhuc conclusionem parit, scilicet omnem exemptionem, quæ absque ejusmodi facto oritur, irritam esse & frustraneam. Jam vero immunitas fundi privati, quæ non nisi vetustatis auxilio stabilitur, cujusque non alia origo, quam præscriptionis constat, non a facto liberantis, seu privilegio reipublicæ, sed liberati demum incipit. Hinc prouti nemo, qui regulariter obstrictus est, facto per omnia proprio se obligationi subducere aut absque titulo liberare potest, ita ille, qui contribuendi obligationi universali, quoad fundum possessum se subduxit, facto suo solitario, a quo totius præscriptionis argumentum aut initium pendet, libertatem sibi ipsi constituere nequit. Potius huc adplices, quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescere, & reipublicæ vel ignorantis, vel, ne major motus fiat, dissimulantis aliquando immunitatem, silentium actum constitutioni civitatis fundamentalis contrarium non ratihabere.

## §. VII.

Dispar equidem hac in re civitatis, & privatorum ratio est: Quamvis enim obligatio his debita temporis lapsu extingatur, & illorum, quibus debetur, silentium quandoque sanctione civili accedente pro remissione actuali juris competentis habeatur, in republica tamen secus est, ut illius conniventia pro facto eximendi haberi queat. Subest enim 2) in publicis oneribus causa illorum solvendorum perpetua, quæ uti jus aliquando interpellat pro homine, pro ipsa quoque republica indies interpellare videbitur. Causam autem tributorum perpetuam eam dicimus, quam §. i. præmunivimus, scilicet quolibet tempore novum poscendi tributum argumentum, novamque solvendi obligationem oriri. Quemadmodum igitur Jure Romano quoque legata illa, quæ annua erant, quod singulis annis nova deberentur, & in effectu adeo, non unum legatum, sed plura essent *l. 4. ff. de ann. legat.* præscriptioni, non nisi quoad præteritum tempus, erant obnoxia, nec ea, quæ futura adhuc erant, quorumque causa nondum extiterat, præscriptione extingui poterant, utut præterita forsitan, obstante illa, non poscerentur, ita argumento illustrandi ab his desumpto eundem in modum se res cum oneribus publicis habere videtur. Causa horum est perpetua, & indies nova ad illa exsolvenda suboritur obligatio. Proinde si summo jure rem æstimare velis, ab eo tempore, per quod fundus immunis vetustatis auxilio fuit, census repeti non potest, quod illis exigendis factum reipublicæ proprium, conniventia scilicet aut indulgentia, ob stare videat-

videatur, nequaquam vero eadem vetustas oberit, in futuris adhuc postulandis. Liquet idem quodammodo argumento a simili ducto, quod eadem ratione, qua nullus fundus oneri de novo & legitime demum injungendo se subtrahere potest specioso prætextu, quod ab ejusmodi nova collecta vetustatis præsidio defendatur, pari quoque modo collectas consuetas, & reliquis agris impostas, unico vetustatis auxilio fundus sub- & obreptitie imminis factus declinare nequeat.

§. VIII.

Cum 3) jus collectandi cives inter præcipuas Majestatis aut superioritatis Territorialis partes semper fuerit habitum, neque ad declinanda illa jura, quæ imperio sunt essentialia, præscriptio obrinere queat, deprecatio quoque publici ferendi oneris ex præscriptione petita locum non inveniet. Jura enim privatorum, & Imperantium quoque, qua privatos agunt, curriculis temporum interciderè iisdemque extingui, nemo negat. Ea vero jura, sine quibus ipsa Majestas subsistere non potest, perpetua, & ita illi incorporata, ut ab eadem divelli nequeant, esse debere, ex constitutione prima civitatum & omnis imperii indole intelligitur. Truncare scilicet Majestatem aliqua sui parte is videretur, qui ex temporis præscripti præsidio contra eandem quoad collectas se defendere vellet. Quum enim ex prima destinatione jus colligendi sumtus ab omnibus civitati integrum esse debeat, idem privati hominis arbitrio mutilaretur, & præscribens certo respectu contra se ipsum cum reipublicæ effectum membrum, præscribere videretur. Quo etiam res demum esset deventura, si omnes, aut certe plures malo exemplo,

& hoc principio semel admissio, immemoriali possessione libertatem tueri vellent. Nonne tunc necessum foret edictali lege idem cavere, omnemque possessionem contra reipublicæ jura ordinaria prohibere, & contra illos, qui præscripserint, reipublicam restituere? Quanquam enim ultimus hic casus non metuendus fuerit, idem tamen monstrat, tale principium, quod si ab omnibus exerceretur, civitati exitiosum fore, ideoque in republica admitti non posse. Omne enim quod in republica certi juris esse debet, ita comparatum sit, ut si omnes eodem jure uterentur, reipublicæ nihilominus suus ordo suusque nexus constare debeat. Nec consuetæ conjecturæ, quibus inter liberas gentes, aut privatos homines tacitus consensus mutandis juribus asseritur, adstruendo reipublicæ consensui sufficiunt, nec leges humanæ, quæ præscriptionem efformarunt, propria vi reipublicam obligant. Derelictio certe exercitii hujus juris non ultra, quam quod per derelictionem non exactum est, extendi potest, neque ab omni exactio-  
*ne ordinarii census per longum tempus, ad dimissionem totius juris, quoad fundum, qui immunitatem præten- dit, inferre fas fuerit. Domino territorii illæ præstatio- nes non interverti queunt, quæ forsitan incuria aliquando officialium non exactæ sunt, & prouti nemo, per quem licentia est possidere si possessionem corporaliter natam rei dereliquerit, desidia forte vel dolo, ut locus aper- riatur alii eandem possessionem detinere, efficere potest, & nihil penitus domino præjudicii ex hoc generatur, sed salva in hoc casu domino rei omnis actio servari debet*  
*L. 12. C. de A. & R. P.* ita ministerialium civitatis hac in re oscitantia, ipsi reipublicæ, præjudicio esse nequit.

Gravius

Gravius adhuc esset juri exigendæ collectæ contra rempublicam præscribi, quam bonum aliquod domaniale, quod tamen non concedant, usucapi. Domaniale enim, ut in usus imperii sint destinata, partem tamen ipsius imperii non constituunt, sed, ut facilius illud servari possit, ipsi sunt adjuncta. Jus vero exigendi tributi ipsi imperio est essenziale, idemque, si qua in parte diminuat, adficit, & immunitas inde adversus partem imperii juribus usucapionem admittentibus, utpote privatorum possessioni & commercio exempta, adnumerari nequit. Vei igitur privati homines rerum sacrarum & extra commercium constitutarum possessionem inchoare nequeunt, ita rei quoque publicæ, & ad civitatem pertinentis vindicationem immemoriali præscriptione frustra postulant.

§. IX.

Quodsi etiam 4) exercitium actuum meri arbitrii præscriptione prius declinari nequit, quam de contradictione præferentis, & patientia alterius, post tempus lege definitum, constet, nec possessio vel quasi libertatis haberi queat citra prohibitionem & adquietentiam c. 1. X. de caus. possess. & propriet. l. 25. de usurp. cap. 3. de R. J. in 610, haud præter rem idem argumentum ad præsentem quæstionem adplicet. Cum enim jus illud meri sit arbitrii, ad quod exereendum alterius consensu quis amplius non indiget, collectas ordinarias & legitimo modo indictas exposcere intuitu societatis civilis merito pro actu meræ facultatis existimatur, maxime cum per non usum non amittatur jus. MYNSING. Resp. jur. dec. 8. R. 70. n. 4. & impositio tributi, sit res meræ facultatis



tatis *Gædd. V. 4. Consil. Marpurg. 16. n. 294.* cui nullo tempore præscribitur WESENBEC. *Conf. 45. n. 5. Consil. 303. n. 126.* daß solche Indictiones und Collecten wider die Obrigkeit dadurch nicht verjähret werden, wenn gleich in 100 Jahren der Landes-Fürst der keines gefordert, cum sit actus ab ejus mera facultate dependens. Hinc si quando a republica ejusmodi census a prædio, quod immunitatem præterdit, postulati fuissent, & cum recusarentur, respublica ad negationem illorum conticuerit, majori forsitan probabilitate ab illo tempore immunitas ex præscriptione defendi possit. Deficiente autem titulo penes eum, qui immunitatem per præscriptionem extinctivam allegat, in arbitrio erit reipublicæ, an diutius illum eadem frui velit. Cum enim exactio onerum pars sit juris a civitate non separandi, & constituta semel civitate liberæ voluntatis, hinc omissionem illius precariam haberi autumat MENOCH. *conf. 307. n. 61.* nec præscriptionem absque possessionis titulata initio confici posse tradit MEVIVS *IIX. Decif. 257. n. 7. § III. Dec. 205.*

## §. X.

Obstat quoque 5) ejusmodi immunitati unico præsidio vetustatis munitæ generale illud Juris Romani principium, *sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.* Cum enim ejusmodi immunitates prædiorum præscriptione defensæ aliquando inde libertatem primam acceperint, quod possessores latifundiorum, portiones quasdam agrorum, quibus subigendis quotannis equi aut familiares non sufficerent, venderent, & ut emtorem facilius invenirent, tributa ex illis in se & prædium principale reciperent, adeoque



que vendenda liberarent, mos hic contrahendi variis de causis legibus improbatum fuit. Ut enim taceam, omni tempore invidiosum reliquis concivibus videri potuisse, si sub oneribus publicis gementes alios his liberatos, & commune solatium illud, socios habere, in ejusmodi emtoribus defecisse viderent; hac ipsa venditione immunitatis lege facta ipsa respublica ultimato census ordinarii aliquando defecturi periculum metuendum habebat. Quamvis enim quis objiciat, tali venditione celebrata, & oneribus in fundum principalem receptis, arario nihil subtractum fuisse, neque ejus interfuisse, an tributum a possessore & ex fundo antiquo indivisim, an vero ab utroque & novo homine simul divisim exsolveretur; nova tamen sollicitudo subnascebatur eadem onera, quæ a toto prædio facilius colligi & ex fructibus præstari possent, eodem imminuto & partibus quibusdam truncato, haud æque facile ex parte residua imposterum solutum iri. Utut enim primis annis, & si fundus antiquus ac imminutus prudenti administratione debite coleretur, dispendium illud soluto quotannis canone consueto metuendum observari non possit, illa tamen tempora quoque reipublicæ prævidenda & præcavenda erant, quibus sterilitate agrorum, aut ipsius patrisfamilias incuria & male ordinata œconomia, residua portio toti ferendo oneri par non videbatur, adeoque vel pensio debita vel remitti, vel ager discedente colono sterilis & incultus dimittendus erat. Adhuc reipublicæ quoque intererat, ne partes fundorum absque onere & immunes alienarentur, intuitu hypothecæ & taciti pignoris, quod tributorum causa ipsi in toto prædio fuerat. Quandoquidem enim singuli agri immunes venderentur, hoc ipso separatio-

ne

ne a fundo principali inflituta jus pignoris filco compe-  
tens in partibus alienatis intercidere ac imminui videbatur.  
Hinc graviter ab Imperatore Constantino l. 2. C. sine cens. vel  
rel. ordinatum, ut si quem constiterit hac lege immunita-  
tis possessionem esse mercatum, tam pro solitis censibus fun-  
di comparati, quam pro reliquis universis ejusdem posses-  
sionis obnoxius teneretur, cum necesse sit eum, qui com-  
paravit, censum rei comparate agnoscere, nec cuiquam  
rem sine censu comparare vel vendere licere, quæ sanctio  
a JULIANO l. 3. C. h. t. repetita ut omnes pro his agris,  
quos possiderent, publicas pensitationes agnoscerent, nec  
pactionibus contrariis adjuvarentur, si venditor aut dona-  
tor sarcinam collationis pactione illicita apud se retinere  
voluerit. Fundi igitur, qui hac ratione & contra le-  
gem immunitatem obtinuerant temporis adjutorio con-  
tra jura defendi non possunt, nec pactum a jure commu-  
ni remotum, quod ne jurejurando quidem interveniente  
fervari convenit, l. 7. §. 16. ff. de pact. initium præscri-  
bendi juris constituere potest.

## §. XI.

Visum idem 6) quoque fuit legislatoribus patriæ  
nostræ, ut hac in parte non modo Juris Romani sanctio-  
nem, quæ Jure publico universali jam fundata erat, ad-  
mitterent, verum etiam singulari adhuc lege repeterent.  
Hinc Decif. El. Sax. Nov. LXV. cautum est, daß obwohl  
ein Stück Guth, ohne alle Schulden Last und Beschwer-  
ung könne verkaufft werden, so sey doch dieses nicht zu  
verstehen auf die Steuern, Erb- Zinsen und andere der  
Obriegkeit schuldigen Gefälle zu deuten, gestalt denn kei-  
nes:

nesweges hinführo zuzulassen, daß entweder die Käufer oder Verkäufer, oder auch die Unter- Obrigkeiten und Gerichts- Herrn Geschoß, Steuer, Schock, und andre erbliche Gefälle von einem Gut auf das andre legten, und dadurch dem gemeinen Wesen zum Nachtheil handelten; Dahero solche Käuffe und Handlungen, sie geschehen unter was Schein und Vorwand sie wollen, allerdings an sich selbst, so viel diesen Punct betrifft, nichtig und ungültig seyn, auch nichts destoweniger bey dem Käufer des Guts alle darauf haftende Gefälle gefodert werden sollen. *Pa-ctum enim ejusmodi, quamvis contrahentes inter se ad regressum & evictionis praestationem obligare possit l. 11. C. de pact. j. l. 52. §. 2. ff. eod. & emtor a venditore suum consequi debeat MORNAC. ad l. 1. C. fin. cens. PACIVS ibid. in Analys. Cod. ipso jure tamen, quoad domini territorialis jus, nullum, nec lapsu temporis, utpote res inter alios gesta, tertii multoque minus reipublicae juri obstare poterit.*

## §. XII.

Forſitan quoque ultimo loco (7) non immerito quis argumentetur, immunitatem unico vetustatis praesidio defendendam, in Saxonice terris ideo non admittendam, quod Serenissimi Saxoniae Legislatores nullam plane, ne quidem liberatione privilegii & adeo facti expressi ortam, audiendam imposterum concedere velint. Devisione enim Electorali LXV. verbis finalibus sollicitum est, wir wollen auch vor uns selbst in künftigen keinen unſer Unterthanen und Lehn- Leuten von gemeinen Steuer- Anschlägen, Ritter- Pferden und andern dergleichen

gleichen auf den Gütern haftenden Anlagen, zu Vermeidung aller Unordnung und Ungleichheit befreyen, ex quibus verbis Decisionis non præter rem quis colligat, illum qui exemptionem ab oneribus per privilegium obtinendam abrogavit, magis adhuc eam improbasse, quæ absque concessione speciali, & privati hominis ausu primum cepit. Cum enim constituendi juris modo per specialem indulgentiam illa æquipolleet, quæ præscriptione constitutiva oritur, nec præscriptioni immemorabili majus robur quam privilegio tribui possit; FINCKELTHVS. *Obs. 41. n. 11.* tuto quoque argumentari licet, immunitatem quæ lege posterum non est obtinenda, aut si obtenta est, non ultra liberos primi gradus, qui a primo acquirente veniunt, se extendere debet, præscriptione quoque ab eo tempore amplius non esse asserendam. Quanquam etiam aliquis distinguat *Decif. alleg. de jure liberationis de novo non constituendo per privilegium statuere*, in præscriptione autem jus jam constitutum adesse, applicatio tamen distinctionis vera saltem erit in oneribus præteriti temporis non resarciendis, minime vero in illis, quæ futuro adhuc tempore, & post diem dictæ Constitutionis solvenda sunt. Futurorum enim munerum patrimonialium intuitu præscriptio jus adhuc constituendum operari debet, nec immunitates annuæ, sed quæ præteriti temporis fuere, saltem præscribi possunt, quod *supr. §. 7.* probavimus.

§. XIII.

Juvat quoque rem ipsam casu quodam plane singulari explicare, qui cum haud ita pridem proluxa causæ cogni-

cognitione instituta decisus fuerit, argumentum, quod agimus, quodammodo illustrabit. Superiori scilicet seculo anno 1620. Serenissimus Johannes Georgius, Elector, prædium nobile B. & R. a familia nobili de Schlemione acceperat, & cum illi fundus quidam Sexagenis oneratus admixtus esset, anno 1629. exactionem publicæ collectæ omittendam rescripto imperaverat, das betagte abzuschreiben, und fünffrig von berührten unsern Eigenthum die Steuern nicht abfordern zu lassen. Idem prædium nobile cum fundo adjacente anno 1635. Dn. de D. vendebatur, & immunitas aller Bürden, Steuern, Præsenten und An- und Aufstagen, wie die auch zu nennen, literis emtionis-venditionis inferebatur. Cum vero anno 1681. revisio Steuræ in Præfectura Offitiensi institueretur, & ex variis documentis deprehenderetur, olim 1644. sexagenas fundo adjacenti impositas fuisse, eo quod possessio fundi ad privatos iterum pervenisset, adeoque immunitatis causa cessaret, præstatio onerum consuetorum ab anno 1678. quo filius primi immunitatem adquirentis mortuus fuerat poscebatur, & impostorum quoque ut solveretur contendebatur. Cum igitur præter alias liberationis causas a possessore præscriptio quoque, quæ longe ultra quadraginta annos excurreret, allegaretur, lite ad quadraginta annos dein protracta anno 1724. d. 30. Augusti rescripto ad receptatores Steurarum Circuli Lipsiensis res decisa, So wollen wir dennoch, jedoch aus blossen Gnaden, daß ihm die von anno 1678. rückständige Steuer zur Helffte erlassen, und zu Erlegung der andern Helffte eine dreijährige Nachsicht gegönnet werde, geschehen lassen, jedoch daß

1711193

C 2

binnen



binnen solcher Frist so wohl der Rückstand in proportionirten Terminen eingebracht, als auch aniezo die Land- und Pfennig- Steuern von mehr besagten 1644. Schocken richtig und ohne weitem Erlaß bezahlet und eingebracht werde, wannhero unser gnädigstes Begehren, ihr wollet dem von D. unsre Final-Resolution so fort eröffnen, und zu deren durchgehenden Expedition alle gehörige Anstalt treffen. Pari modo aedes quaedam privilegiatae hic Lipsia, in platea Burgensi, immunitatem quandam a 1700. sexagenis sub initium seculi decimi septimi hac occasione obtinuerunt, quod dominus illarum, qui praedia nobilia Knauthan & Mausiz tenebat, cum aliis fundis steurae subjectis, has sexagenas illis, quae ex aliis bonis extra urbem debebantur, immiscuisset, & una cum illis exsolvisset, quae praediis illis nobilibus ab his aedibus dein disjunctis incuria illorum, qui exigendis collectis praepositi fuerant, in oblivionem adductae fuerant. Cum vero ante aliquot annos primum error ille admissus inveniretur, non obstante praescriptione immemoriali, communi oneri impostorum subeundo eadem aedes assignatae sunt.

#### §. XIV.

Quam adeo argumentis probatam dedimus sententiam, vetustatis auxilio immunitatem a collectis non quarri, ab omni quoque fallacia causae ut causa, seu illis liberationibus, quae aliam originem trahunt, separabimus. Scilicet cum unico illo adferendae exemptionis titulo, praescriptione, non confundendi sunt alii modi, quibus immunitates aliquando legitime contigerunt,

gerunt, & temporis diuturnitate dein firmata sunt. Rectissimum igitur producenda liberationis vel ab omni censu, vel a certis saltem & determinatis muneribus, remedium fuit, si eadem titulo oneroso, & qui alia ratione ut æquipollens in reipublicæ utilitatem cessit, quondam parta fuit. Cum enim immunitas onere quæ sita in modum contractus transeat, obligatio hæc Reipublicæ juris naturalis est, quod illam obligat, M. ANTON. PEREGRIN. *de jur. Fisc. Lib. 1. t. 3. n. 28.* PRVCKMANN. *Vol. 1. conf. 39. n. 51.* RHET. *Inst. Jur. Publ. l. 2. t. 7. §. 3. & 4.* Sic nemo immunitati nobilium prædiorum invidebit, qui militaria præstanda servitia, dona gratuita, Præsent-Gelder & alias præstationes, æqua lance perpenderit, cum non æquum sit futurum, dum ad servitia Domino præstanda nobiles adiunguntur, duplici onere eosdem gravare. MAVL. *c. 9. d. Homag. n. 68.* Idem obtinet, si loco operarum ex immobilibus præstandarum, pecuniæ erogentur, aut pensionis loco *corpori indicta obsequia l. 4. §. 2. ff. de muner. solvantur.* Sic memini pagis quibusdam immunitatem ab Amt- & Vorspann concessam, soluta vicissim annua majori pensione. Frequens quoque in quibusdam pagis est, certam agrorum vel mansorum portionem immunem esse, & a reliquis convicaneis partem ex illa debitam solvi, quod usus illorum fundorum sculteto gratis sit concessus, & in partem salarii quasi computatus. In his igitur exemptionum generibus, quæ vel in partem salarii imputata, vel pecunia aut alio obsequio redempta, nemo tamdiu liberationem in dubium vocabit, quamdiu eadem plane & antiqua onerum, quæ re-

missa sunt hoc intuitu, quantitas obtinet, & respublica alio commodo aequipollente fruitur. Quod si vero onera augeantur, & graviora evadant, quam tempore immunitatis data fuerant, illud, quod quantitatem immunitatis, ad quam respublica tempore concessionis respexit, excedit, priori exemptione aut contractu non continetur. Idem plane erit, si fors quaedam ad declinanda onera sit soluta, eademque a republica restituatur, quo casu, da das Geld aus der Steuer nach und nach baar erstattet wird, die Häuser oder Güter hingegen zu dem Steuer-Anschlage wieder zu bringen, quod ultimum, ut iniquius forsitan videri posset, dum uni a contractu semel inito regulariter recedere non liceat, utilitate tamen reipublicæ in hoc pensatur, quod reddita sorte ad regulam iterum redeatur, quæ in eo consistit, ne fundus aliquis communi ferendo oneri se subducat, neque civium dispar conditio invidiam, obreftationem aut semel neglecta regula varias fraudes contra regulam pariat.

## §. XV.

Eadem immunitas illis quoque prædiis non neganda erit, quæ legitimo a republica modo, ut in compensationem meritorum omni civitati præditorum, possessoribus olim oblata fuit. Quod si enim sapienti consilio aut strenuo facinore privati hominis omnis respublica singulari facto juvetur, reliquos quoque cives ad onera hominis bene meriti ferenda, ipsumque a solitis muneribus eximendum, moveri posse communiter statuunt CRAVETTA *conf.* 135. SVRD. *conf.* 278. n. 15. quale



quale exemplum ut in quavis regione frequens est, ita Illustr. Dn. a LYNCKER. *Decif. 234.* consulis cujusdam Magdeburgensis refert qui ob merita in urbem pacis Osnabrugensis tempore collata a Senatu exemptionem, ab Electore Brandenburgico illius confirmationem, & a Cesare exemptionis privilegium obtinuerat. Hæ ipsa tamen immunitates, quæ a factio ab omni civitate veniente originem trahunt, uti temporis lapsu & ordine perpetuo hunc in modum servato majus incrementum accipiunt, & vitium importunitatis, quod ex *l. 1. C. de petit. bonor. subl.* ejusmodi emendicatis exemptionibus vulgo occinitur, in his forsitan tempore purgari possit, nec ad futura bona, ob strictam privilegiorum naturam *c. 7. X. de privileg.* & præjudicium tertii *c. 5. X. de auct. & usur. palli.* nec ad onera insolita extendenda sunt, cum licet etiam ab insolitis concessa sit exemptio in evidente tamen necessitate publica, non proficiat KLOCK. *de Contrib. c. 8. n. 1. & 3. c. 16. n. 194. sqv.* BESOLD. *T. II. conf. 79. n. 55. sqv.*

## §. XVI.

Eandem sententiæ limitationem lubens quoque concedo, si forsitan in territorio quodam benevola imperantis concessione aut exemptio ab oneribus per allegationem præscriptionis immemorialis in genere adprobata, aut quoad certas saltem immunitates hoc principium expresse admissum sit. Mentionem injicit hunc in modum Dn. LYNCKER. *Decif. Fen. m. c. LXIX.* des Biers Ausschreibens de anno 1640. & verborum, welche aber deshalb sonderbahre Befreyung vorzuweisen, oder niemahlen

mahlen nichts an Land-Steuren entrichten dürfen. Die sollen auch bey solcher ihrer Freyheit gelassen, so wohl mit denen Frey-Häusern in Städten es gleicher Gestalt also gehalten werden. Quemadmodum autem si exemptio ob prescriptionem immemoriam indefinite adprobata sit, illa tamdiu obtinebit, quamdiu ejusmodi adprobatio legitime non sit sublata, CACHERAN. Dec. 139. n. 9. 21. sequ. ANTON. GABRIEL. l. 3. comm. conclus. 1. de jur. ques. non toll. Concl. 6. n. 5. & argumenta, quibus vulgo dictarum reductionum justitia defenditur, ad eam quoque revocandam quadrant, ita in speciali liberatione, qualis nonnullis & personis & ædibus quoad cerevisiam contigit, nec ad immunitatem a reliquis oneribus, neque ad exemptionem a futuris collectis argumentari licebit. Est enim omne ejusmodi privilegium facti, nec ad ea, quæ extra factum illud versantur, porrigitur.

## §. XVII.

Quæ igitur in contrariam sententiam passim adferuntur argumenta, æquitatis utique speciem præ se ferunt. Sed, dum privatæ æquitati favent, ipsi quodammodo reipublicæ iniqua videri possunt. Breviter igitur eadem recensēbimus, & placide pondera illorum æstimabimus. Eminent autem in his primo loco vox digna Imperatore Theodosii & Valentis l. 7. C. de fund. rei priv. quod licet nemo contra Imperatoris commoda temporis prescriptione sibi blandiri debeat, *vetustatis tamen auxilium excipiatur.* Ex hac enim omnes colli-

colligant, immunitatem a canone & tributis praescriptione quoque immemoriali adquiri posse. v. TITII *Fur. Priv. Lib. VIII. c. 8. §. 15.* LYNCKERI *Dec. Fenens. p. m. 354.* ZIEGLER. *de Fur. Maj. Lib. II. c. 2. n. 52.* Qui autem vetustatis auxilium hac ipsa lege pro praescriptione immemoriali accipi negare non ausim, & contra ipsum Imperatorem argumentum ex illa desumi potuisse facile largior, *vetustatis* tamen *auxilium* non indistincte, sed iis demum casibus admissum ex eadem observo, quibus immunitas per venditionem demto canone factam primum obtinuerat. Prouti igitur merito ambigi posset, an idem *vetustatis auxilium* indefinite extra casum lege hac propositum allegari quoad liberationes ab oneribus potuisset, receptionem adhuc illius & adplicationem ad Territoria Germaniae indistincte concedi posse non crediderim. Legem enim, hac ipsa lege Germaniae Imperantibus datam fuisse nemo dixerit, qui & finem recipiendi Juris Romani & Imperantium conditionem secum perpenderit. Cum enim primum jus Romanum Germanicis juribus admisceretur, a privatis hominibus, in scholas & fora, privatorum causis decidendis, nequaquam vero publicis negotiis dirimendis, adhibitum fuit: Dein vero, cum idem jus ob eximiam, quam in plurimis haberet, aequitatem & argumentorum robur ab ipsis imperantibus quoque admitteretur, ipsi, quoad jus admissum non imperantes, sed privatos potius homines de jure contendentes agebant. Quoad causas vero regendae aut administrandae reipublicae, idem jus, neque constitutiones Imperatoriae Codicis unquam admittae leguntur, sed partes superioritatis territorialis ex

D

doctri-

doctrinæ civilis principiis, & pactis cum ordinibus initis sunt exercita. Monstrant idem plurima ipsarum immunitatum exempla, quæ Romano Jure licet adprobata fuerint, in Germaniam tamen nunquam penetrarunt. Quodsi autem imperantium aliquis hac lege 7. C. de fund. rei priv., in juribus imperii possidendis uti, & legibus positivis, quibus ipse contra subditos uteretur, se quandoque subjicere vellet, voluntatis & meri arbitrii, non necessitatis cujusdam legalis res erit futura. Forsitan etiam Romanorum Imperatorum judicio non omnis quæstio de immunitate præscriptionis immemorialis auxilio quæsitæ, hac lege fuit decisa. Quæ enim sequiori seculo, adeoque recentius quam alleg. lata est lex 6. C. de præscriptione XXX. v. XL. anno. ab Anastasio Imperatore, dubium non immerito injicit, non æque moderato rerum arbitrio, ac Theodosius usus fuerat, omnes Imperatores judicasse. Cum enim graviter Anastasius in omnes, qui publicarum functionum solutionem omisissent, increparet, tandem his verbis desinit, *nec functionibus, nec civili canoni, nec alii cuiquam publicæ collationi impositæ cujuscunque temporis præscriptionem oppositam admitti debere.* Hanc ipsam igitur constitutionem recentiorem adhuc Theodosii lege utur TABOR de metat. p. 3. sect. 2. c. 1. n. 11. tum ex rubro totius tituli, tum vero ex quadraginta annorum in lege facta mentione, ad præscriptionem saltem quadragenariam proferendam pertinere referat, forsitan tamen non advertit, iisdem legis verbis *per tanti* (i. e. quadraginta annorum) vel *amplioris temporis lapsus*, ultra quadraginta annos adhuc præscriptionem illam in fingendo

do

do casu extensam, & *cujuscunque* demum in fine *temporis* prescriptionem improbatam. Adhæc non possum non mirari, qui venerit, ut in lege 7. *C. de rei privatæ vetustatis auxilium* saltem arriperetur, neque reliquæ ejusdem sanctionis partes adnotatæ, aut in usum nostri Juris quoque transcriptæ legantur. Cautum scilicet severissime erat eadem constitutione, ut, qui *dempto canone ad comparationem dominicæ possessionis accederet*, pretia perpetuo perderet, nec *expensarum*, nec *meliore rei fructuum exactio ipsi competeret*; palatinum etiam officium, si quoquo modo contractus ejusmodi fuerit celebratus, vel si talem petitionem instruxisset, *quinquaginta pondo auri pœne nomine inferret privato imperatoricæ mansuetudinis ærario*: nec ulla liberalitas clementiæ imperatoricæ, nec ulla sanctio contra tanta private rei commoda valitura sit, licet adnotatio vel divina pragmatica sit, quæ contra vetita canonem vendere concederet, vel pœnam palatino remitteret officio. Uti enim his omnibus observatis exemptiones, quæ frequentissime ex venditione liberationis ortum traxerunt, non facile metuendæ, nec vetustatis auxilium allegandum erat, ob severissimam animadversionem additam, quæ ortum immunitatis impediabat, sæpius audiri poterat, ita pœnam & privati hominis & palatini officii cum pœnis fiscalibus exolevisse facile concedunt, adeoque legem quoad commodum reipublicæ in defuetudinem abivisse, quoad lucrum vero privati hominis adhuc obtinere, inique autumant.



## §. XVIII.

Quam itidem ZIEGLERVS *de Jurib. Majest. Lib. II. c. 2. n. 52.* argumentationem profert, quod Recessus Imperii & in his R. J. de anno 1548. §. wenn auch 56. præscriptionem immemoriam in causa tributorum admittant, succincte, ipsis R. J. inspectis tabulis, discutimus. Quamvis enim summus ille JCtus, & cum ipso CASP. MANZ. *qv. 49. T. MANLIVS de homag. t. 9. n. 70.* arbitrentur, Romani Juris sanctionem hoc R. J. loco repetitam, oppido tamen eos falli ex tota lege perspecta apparebit. Sunt scilicet ibidem verba, daß wenn wider einen nicht dargebracht werden möchte, daß er je in Menschen Gedächtnuß in des Reichs gemeinen und nicht privilegirten Hülffe contribuiret, oder ein Anschlag gericht und bezahlt habe, so solle Kayserlicher Fiscal nichts erhalten haben, sondern, wenn wider die Reichs-Anschläge legitime præscribiret, darauf erkannt werden was recht sey, und jeden Theil sein Recht bevorstehen. Hac ipsa sanctione, utur primo intuitu immunitas a collectis ex præscriptione immemoriam data videatur, minime tamen citatus paragraphus de ejusmodi exemptione a tributis in genere, sed de indicis illis loquitur, quibus judicari debeat, quo jure quave injuria quis matriculæ Imperii olim sit illatus. Verba inde non separanda, sed conjungenda erant, quod si quis 1) keine Stimm und Stand in Reichs-Versammlungen, 2) auch keine Lehn im Reich hätte, und 3) dagegen wider ihn nicht dargebracht werden könnte, daß er je in Menschen Gedächtnuß in

in des Reichs gemeinen, und nicht privilegirten Hülffen contribuiren, oder ein Anschlag gereicht und bezahlt habe, also daß er der ausgezogen, dem ausziehenden Stand ohn Mittel unterworffen, so möchte er der ausgezogene oder ausziehende Standt, so er sich in des Käyserlichen Fiscals Klage erschen, in Recht anbieten, die Possession vel quasi libertatis auszuführen, scilicet illum, qui nunquam intra hominis memoriam collectas Imperio solvisset, non pro statu Imperii habendum, & in matriculam aut indicem contribuentium, ut loqui amant præsuppositive saltem, non determinative relatum esse. Inde autem non sequitur illum, qui per tempus immemorabile ex alia ratione, quod Status Imperii non sit, ad Imperii collectas immediate non solvit, a collectis quoque provincialibus immunem existere. Ad hæc, si vel maxime illo loco immunitas a collectis imperialibus per præscriptionem inter ordines Imperii adfereretur, illa tamen constitutione nequaquam aliis Statibus in regimine ditionum suarum lex, aut subditis exemplum datum esset, quo parva liceret componere magnis, & eundem in modum se censui, quem domino territorii solverent, eximere, quo imperii status toti Reipublicæ Germanicæ quoad collectas se subducerent.

§. XIX.

Parum etiam proderit argumentum a contrario petitum, quod cum jus collectandi per præscriptionem adquiri possit *l. 18. §. 25. de mun. & honor.* multo magis libertas eodem modo obtingere debeat, *l. 47. de O. & A.*

D 3

l. 99.



*l. 99. de V. O. l. 33. de Re jud. l. 125. de R. J. cum favorabilior sit præscriptio libertatis contra servitutem, quam præscriptio servitutis contra libertatem BARBOS. Thef. loc. comm. l. 14. c. 64. ax. V. & res facilius ad suam primævam naturam revertatur l. 27. §. 2. de pact. Non enim homines nasci, ut compellantur onera subire, sed liberos edi; SVRD. Consil. 234. n. 39. Cum enim servitutes privati juris & arbitraria hæc jura cum obligatione solvendarum collectarum necessaria, & sine qua respublica servari non potest, non confundi debeant, regula quoque, quæ sapius fallit, contrariorum eandem esse rationem, hic quoque fallit. Uti enim in rebus indifferantibus libertatem quis pro re favorabili habeat, & nemini ad eandem in privatis dominiis adspirare vitio vertiqueat, libertas tamen ejusmodi non adfectanda aut favorabilis habenda erit, quæ cum prima reipublicæ origine & conservatione pugnat. Pugnare autem ejusmodi exemptionem cum habitu civitatis, inde apparet, quod, si omnes pari argumento ad libertatem adspirare vellent, aut ipse reipublicæ nexus solvendus, aut omnes immunitates nova lege abroganda essent.*

## §. XX.


*Cum etiam præscriptio, TVLLIO pro Cæcinnâ autore, finis sollicitudinis & patrona generis humani merito habeatur, Æquitati communem sententiam convenire existimat Dn. TITIVS Fur. Priv. Libr. II. c. IX. §. 4. ut cum imperans eum in suam præscriptionem introduxerit, ut per eam, veluti per pactum aliquod jura mutantur, ipse etiam*



etiam contra subditos præscriptione uti soleat, & merito quoque ejus vim contra se admittere teneatur, maxime si jus, de quo queratur, non adeo magni sit momenti, nec gravis causa ejus assertionem postulet. Qui igitur generositatem ultimis lineis Principi commendatam, ut par est, magnifacio, neque extra gravem causam querulum hominum ingenium intempestive juris antiqui reductione provocandum, existimo, duo priora argumenta Viro in doctrina civili alias peritissimo excidisse plane miror. Quod enim de præscriptione ad exemplum pacti, introducta, quo jura mutarentur, Vir Consultissimus adfert, tamdiu de modo mutandorum jurium inter subditos, quibus leges saltem latæ sunt, tantum intelligenda sunt, quam diu Princeps his ipsis legibus ex propria voluntate expresse se non submisit. Quod enim Principi in constituendo jure inter privatos, ut rerum jura aliquando certa sint, placuit, male ad constituendum quoque jus adversus rempublicam, extra specialem permissionem, adplicatur. Nec immerito quæri posset, si forsitan Princeps aliquis de præscriptione latis legibus se sponte sua submisisset, an in dimittenda vel accidenda parte imperii ad eandem submissionem successor obligatus esset, quod ipsum, si etiam in patrimonialibus & proprio jure quæritis imperiis concederetur, in electivis tamen & ad certam formulam adstrictis imperiis nequaquam admittendum foret. Quod ipse Princeps præscriptione in cives uti soleat, ex agnita ab ipsis subditis potestate legislatoria provenit, nec duriores subditi illam præscriptionem a Principe ferendam habebunt, quam ex legum tenore a quo-

2  
Sub

quovis concive eandem ferre debent: Inde vero non consequitur Principem vicissim concedere debere, ut subditi eadem praescriptione contra ipsum experirentur, cum duo, quando faciunt idem, non fit idem. Cives enim ad agnoscendas Sanctiones de praescriptione obligantur ex natura agniti imperii, princeps autem iisdem liberatus est, quod nec seipso fit superior, neque leges a populo vicissim accipiat, neque leges illas praescriptionum sibi, sed populo dederit.




Leipzig, Diss., 1726 K-7

ULB Halle 3  
003 727 53X



f  
sb.





19

P. 136.

73  
1726, 27  
13

PROBLEMA JURIS PUBLICI  
DE

VETVSTATIS AVXILIO  
REIPUBLICAE QVO AD  
IMMVNITATES A COLLECTIS  
NON OPPONENDO

CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E

CAROLO OTTONE RECHENBERG D.  
SVPREM. CVR. PROVINC. ADSESSORE, CAPITVLI  
NVMBVRG. CANONICO, PANDECTARVM PROFESSORE  
ET MINORIS PRINCIPVM COLLEGII COLLEGIATO

IN  
AVDITORIO ICTORVM  
PROPONET  
JOHANNES CHRISTIANVS HOLTZ,  
LONGOSALIS. THVRING.

D. XXI. MAL. A. O. R. M DCC XXVI.

L I P S I A E  
LITERIS IMMANVELIS TITIL

